



DOCTORIS IRREFRAGABILIS

ALEXANDRI DE HALES

ORDINIS MINORUM

SUMMA THEOLOGICA

IUSSU ET AUCTORITATE

Rmi P. BONAVENTURAE MARRANI

TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM

MINISTRI GENERALIS

STUDIO ET CURA PP. COLLEGII S. BONAVENTURAE

AD FIDEM CODICUM EDITA

TOMUS III.

SECUNDA PARS SECUNDI LIBRI.

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

FLORENTIAE

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

MCMXXX.

Contra, a. Dicit Augustinus quod huius modi peccatum ad superbiam vitae pertinet.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod, licet favor ille sit extra illum qui quaerit illum favorem, dicitur tamen esse de bonis inferioribus, quae sunt ipsius animi praeter coniunctionem ad bonum carnis et bonum mundi, et ideo ad superbiam vitae reducitur: quaeritur enim ibi quaedam excellentia ut magis ametur. Similiter etiam, cum aliquis intendit placere sibi de bonis quae habet

vel habere videtur: hoc enim non est nisi quia aestimat apud se quod in illis bonis excellat vel \* quod illa aliquo modo habeat a se, et sic superbia vitae datur intelligi. Unde dicit Augustinus<sup>2</sup>: « Habent tentationem periculosissimam sermo et facta, quae innotescunt hominibus ab amore laudis qui ad privatam quamdam excellentiam contrahit mendicata \* suffragia, et in eodem genere tentationis est aliud malum, quo inanescunt qui placent sibi de se ».

## ARTICULUS V.

*Quare haec radix peccatorum dicatur superbia vitae.*

Ultimo quaeritur propter quid haec radix peccatorum non nominatur nomine concupiscentiae sicut et aliae duae, sed \* frequentius dicitur *superbia vitae*.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod, licet detur intelligi quaedam concupiscentia, quae dicitur ambitio saeculi sive ambitio potestatis, nominatur tamen amplius nomine superbiae ratione

excellentiae quae quaeritur: superbire enim est super se quodam modo ire, hoc est supra statum debitum<sup>3</sup>. Dicitur autem superbia vitae propter hoc quod intellectualis creaturae est proprium et vitium superbia, cuius est per se vivere. Vel dicitur superbia vitae, quia in vita praesenti sunt bona, de quibus homo superbit<sup>4</sup>, *Iob 15,20: Cunctis diebus superbit impius et numerus annorum incertus est tyrannidis eius.*

## Articulus vi.

*Quare superbia vitae sit difficilioris amotionis aliis duabus*

Adhuc quaeritur de hac radice peccati propter quid est difficilioris amotionis aliis duabus

Et quod ita sit, patet, a. per hoc quod dicit Augustinus, in libro *Confessionum* 1,6: « Est qualiscumque in aliis generibus tentationum mihi facultas explorandi me, in hoc pene nulla est ». Et dicitur<sup>7</sup> *Luc. 4,7* quod « superbia \* post omnes virtutes saevit », super illud: *Tuk ergo, si proci-dens etc.* Unde ultimo lentavit [diabolus] Dominum de superbia vitae. Et ideo dicit Ambrosius<sup>8</sup>,

loquens de superbia vitae: « Quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subruere, ambitio facit criminosos ».

[Solutio]: Ad quod dicendum quod ista radix magis adhaeret ipsi animae ratione sui appetibili. Quod enim ibi naturale est, ab anima est inseparabile; reliqua autem sunt separabilia, scilicet bonum mundi et bonum carnis. Et ideo, ablatis tentationibus aliis<sup>5</sup>, restat ista tentatio difficilior ad evellendum, eo quod est de magis adhaerenti bono sumens originem.

\* Z *tmllt* pro *t. i.* > Z *secundum*. · BT *vindicata*. · BT *apud*. Bom. / BTF (corr.) *proprie*. · VF *duobus*. Roe./J.C. ' B om. q. L.; T eius pro port. ' B vacal. ' BT add. ergo. ■ TPLZ add. est. · V *suis*.

· *Confess.*, X, c. 36 sq. (PL 32, 804 sq.)

2 Loc. dt., c. 38sq. (PL 32, 806).

3 Cf. Gregor. M., *In Evang.*, hom. 16, n. 1 (PL 76, 1136); supra, p. 490 et 497a.

4 Cf. Gregor. M., *Moral.*, XII, c. 27 sq. (PL 75, 1006).

5 Cf. supra, num. 436, in *Solutione*, et num. 605, b

*Solutione*.

6 Lib. X, c. 37, n. 60 (PL 32, 804).

7 *Glossa ordin.*, *In Luc. 4*, 5 (PL 114, 254).

· *In Luc. 4*, 7 (PL 15, 1621).

# TRACTATUS OCTAVUS

DE peccatis in deum, in proximum, in se ipsum.

## SECTIO I. De peccatis in Deum.

### QUAESTIO I.

#### DE PECCATIS QUIBUS DEHONORATUR OMNIPOTENTIA DIVINA.

¶ Egregie peditis aliis divisionibus peccati, restat de illa divisione determinare quae  
Hilary: 'peccatum aliud in Deum, aliud in proximum, aliud in se ipsum'. All-  
gus quando tamen non invenitur nisi bimembris divisio, scilicet 'peccatum aliud  
est: in Deum, aliud in proximum'. Peccatum autem in Deum dicitur impietas, pecca-  
tum vero in proximum iniquitas. Et potest sumi ex eo quod dicitur in 1 Reg. 2,25:  
*Si peccaverit vir in virum, placari poterit eum Deus; si autem in Deum peccaverit vir,*  
*quis orabit pro eo?*

Dicendum est ergo primo de peccatis quae sunt in Deum immediate;  
secundo, de iis quae sunt in proximum;  
tertio, de quibusdam quae sunt in se ipsum.

Peccatum vero quod est in Deum aut est quo dehonatur omnipotentia divinae  
maiestatis superstitione colendi aut in quo dehonatur divina sapientia superstitione  
sciendi aut in quo dehonatur divina bonitas perversitate male vivendi.

Dicendum est ergo primo de iis in quibus dehonatur omnipotentia divinae maie-  
statis. Hoc autem contingit dupliciter, in peccatis scilicet quibus prohibetur accessus  
ad cultum Dei et in peccatis illis quibus fit recessus ab ipso. Prohibetur autem acces-  
sus ad ipsum per idololatriam, per superstitionem ludaeorum et per infidelitatem pa-  
ganorum.

Pagani autem sive Saraceni dicuntur illi qui nec Novum nec Vetus Testamentum  
recipiunt omnino, sed suis utuntur traditionibus, et, licet credant unum esse Deum  
nec adorent idola, non credunt incarnationem nec ea quae in lege Moysi continentur,  
Iudaei vero sunt qui Legem datam a Domino receperunt et unum Deum credunt creato-  
rem et liberatorem, sed Novum Testamentum non recipiunt nec incarnationem Filii Dei  
credunt. Idololatrae vero dicuntur illi qui idola pro Deo adorant et non solum unum  
Deum credunt, sed plures, quos etiam Augustinus, in libro *Contra quinque  
haereses*<sup>2</sup>, paganos vocat. Ibi enim sub duabus differentiis hae tres differentiae compre-  
henduntur: quidam enim dicuntur Iudaei, quidam pagani, utrobique autem notatur in-  
fidelitas.

· V om. · V om. · V om. · T om. · R om. *Deam... In.* / R om. *omnifolentia. dthentnr* t V iastt. · T Mic  
! T =dd. *In.* · T om. *ab... accessus.* ! V om. ■ V om *et . Deam.* · V sed. · V o« r / tata.

! Cf. *Glossa ordIn.*, In h. I., ap. Lyran.

! J Cap. 1, n. 2 (PL 42, 1101).

## TITULUS I.

## DE IDOLOLATRIA.

uia vero idololatraea maxime elongantur ratione eius quod creditur — recedunt enim ab eo quod primum est in Decalogo, sicut habetur Deuter. 6,4: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est*; et praemittitur in 5, 7: *Non habebis deos alienos in conspectu meo* etc. — ideo primo dicendum est de idololatria.

Circa quam primo quaerendum est quid sit;  
secundo, de causa idololatriae;  
tertio, in quibus consistat idololatria;  
quarto, de effectu eius;  
quinto, de magnitudine peccati;  
sexto, de tempore et cessatione;  
septimo, utrum communicandum sit cum idololatriis.

## CAPUT I.

## QUID SIT IDOLOLATRIA.

731

## Articulus i.

*Utrum idololatria sit latría.*

**A**d primum sic: Dicitur idololatria latría idolis exhibita. Propter quod potest quaeri utrum idololatria sit latría

Et videtur quod sic. I. Latría enim « est cultus Deo debitus<sup>2</sup>»; sed talis cultus exhibetur idolis, sicut est in genuflexione, in sacrificiis et huiusmodi; ergo idololatria est latría.

2. Hoc etiam accipitur ex hoc quod dicit Isidorus<sup>3</sup>: « Latría m sicut impia superbia seu hominum seu daemonum sibi exhiberi vel iubet vel cupit, ita pia " humilitas vel hominum ° vel angelorum sibi oblatam recusat, et cui debetur ostendit ». Ergo idololatria est latría.

Quod autem non sit latría, a. accipitur ex hoc quod latría est cultus Deo debitus et Deo

exhibitus<sup>4</sup>, sicut accipitur ex Glossa<sup>4</sup> super illud<sup>5</sup>: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies*. Ergo idololatria non est latría, sed ei opposita.

b. Quod etiam argui potest ex hoc quod fides et infidelitas opponuntur; latría autem ad fide: pertinet, idololatria ad infidelitatem; ergo idololatria non est latría.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod latría dupliciter dicitur: proprie et communiter; proprie secundum quod dicitur cultus Deo debitus et Deo exhibitus, et secundum hunc modum latría opponitur idololatriae; secundum autem quod latría communiter dicitur servitatem soli Deo debitam, idololatria latría potest dici, cum illa servitatem idolis exhibetur.

732

## Articulus II.

*Quid sit idolum.*

Quaeritur etiam ratione illius partis, quae est | omnis creatura, cui exhibetur divina veneratio, 'idolis exhibitus', I. quid vocetur idolum, utrum idolum dicatur<sup>7</sup>.

\* T add. dicuntur. \* VBT om. \* L (interl.) Z add. et. t F om. - R om. /V add. huius. » Z om. \* BTR(14) \* B on. \* T om. \* T om. - LZ latría. - BT prima, quod Z corn » Z homini. r V om. c. D. e. r L om. \* Z adit \* FRLZ add. est.

1 Cf. Ioan, de Rupella, *Summa de vitiis* (foi. 26d).

2 Augustin., *De civit. Dei*, X, c. 1, n. 2 (PL 41, 277 sq.).

3 *Etymol.*, VIII, c. 11, n. 2 (PL 82, 315).

4 Bedae, in h. I. (PL 92, 20), ex Augustino, *De Trinitate*, I, c. 6, n. 13 (PL 42, 827).

5 Matth. 4,10; Luc. 11,11 (PL 82,315)

7 Cf. supra num. 710.

Quod videtur, a. Idololatria enim est omnis cultus divinus qui exhibetur creaturae; hoc autem non est nisi omnis creatura teneat rationem idoli; ergo unaquaeque creatura, cui exhibetur veneratio divina, idolum dicitur.

b. Item, Sap. 14,12: *Initium fornicationis est exquisitio idolorum*. Fornicationem autem dicitur spiritualem; ergo exquisitio idolorum est initium fornicationis spiritualis; hoc autem non est nisi idolum pro creatura sumatur communiter, quam praeponeat homo Deo; ergo omnis creatura, quam praeponeat homo Deo, idolum dicitur.

c. Ad hoc facit quod dicit Apostolus quod *avaritia est idolorum servitus*, sicut habetur ad Col. 3,5; similiter dicitur I Reg. 15,23: *Quasi scelus idololatriae, nolle acquiescere*. Hoc autem non videtur nisi idolum in communi ratione accipiatur.

Contra. I. I ad Cor. 8,4: *Scimus quia idolum nihil est in mundo, ubi dicit Glossa<sup>3</sup>: « Inter creaturas mundi; materiam enim Deus formavit, sed stultitia hominum formam dedit »*. Ex quo patet quod non omnis creatura est idolum. Hoc idem habetur ab Isidoro<sup>4</sup>, qui dicit idola esse simulacra rei existentis vel non existentis quae ab homine sunt fabricata.

2. Similiter accipitur ex hoc quod dicitur Exod. 20,4, ubi nos habemus: *Non facietis vobis sculptile, alia littera<sup>5</sup> dicitur; Non facies idolum neque omnem similitudinem*. « Similitudo autem dicitur rei existentis, idolum » autem dicitur « rei non existentis », sicut habetur I ad Cor. 8,4 in Glossa<sup>6</sup>. Sive ergo accipitur idolum communiter sive appropriate, non dicitur omnis creatura, quae praeponeatur vel aequiparatur Deo, idolum. Isidorus<sup>7</sup> etiam dicit idolum esse « simulacrum, quod humana effigie est factum et consecratum ».

II. Praeterea, ratione illius verbi quod dicitur I ad Cor. 8,4, quaeritur utrum idolum sit aliquid vel nihil<sup>8</sup>.

Et videtur quod nihil sit. a. « Omnia enim per Verbum facta sunt<sup>9</sup>; idolum autem non est factum per Verbum<sup>10</sup> ». Ergo idolum nihil est.

b. Item, Iui. 44,9 *PUtae Idoli nihil unit*. Sed hoc non est nisi ratione ipsius idoli ergo idolum nihil est, sicut peccatores nihil dicuntur esse propter ipsum peccatum, Ezech. 28, n: *Nihil fudas es, et non eris in perpetuum*.

Contra. I. Sap. 14, n: *Per manus quod facta idolum, maledictum est et ipsum et qui fecit illud*. Cum ergo opus sit hominis, et opus hominis aliquid est, idolum aliquid est.

2. Item, idolum creatura est, sicut ibidem<sup>11</sup> consequenter<sup>12</sup> haberi potest, cum dicitur: *In idolis nationum non erit respectus, quoniam creaturae Dei in odium factae sunt et in tentationes hominum*. Hoc autem non esset nisi idolum esset creatura; ergo idolum est aliquid.

3. Item, si idolum dicitur nihil esse, ratione cuius formae dicitur nihil esse? Si enim dicitur ratione picturae aut figurae, aliquid dicitur esse; si ratione similitudinis, iterum<sup>13</sup> aliquid dicitur esse: similitudo enim aliquid<sup>14</sup> est, sive sit rei existentis sive rei quae fingitur esse<sup>15</sup>; simpliciter ergo dicitur idolum aliquid esse.

[Solutio]: I. Ad quod dicendum quod idolum proprie dicitur simulacrum representativum rei existentis vel rei fictae, et secundum hunc modum non omnis creatura, licet ei exhibeatur veneratio divina, idolum dicitur. Alio vero modo dicitur idolum similitudo facta rei non existentis, et secundum hunc modum accipitur in Glossa<sup>14</sup> ad Cor. 8,4 secundum unam expositionem, et sic dicit Ori genes<sup>15</sup> quod idolum est representativum rei quae fingitur. Secundum autem quod nomen idololatriae communiter accipitur, ad omnem cultum, qui exhibetur creaturae vice Dei, extenditur nomen idoli. « Idolum enim deductum est ab eo quod est ὄψις », sicut dicit Isidorus<sup>16</sup>, « «-ix autem formam dicit », ab idea tractam, sicut dicit Seneca<sup>17</sup>; idolum vero dicit defectum formae divinae materialiter ponendo formam aliquam existentem creatam vel ab homine factam, et sic posset extendi nomen idoli in intentione idololatriae, ut non tantum dicitur idololatria, cum simulacra coluntur, sed cum creaturae loco Creatoris divino cultu honorantur.

\* Z om. ergo... Deo » FLRZ om. » Ita BT, alii eius. t F om. r. «. t. - T kdxtir. /Boa. i R oa. nUMH. \* B om. 1 B communiter \* B om. t BT dicitur. \*\* Z om. - Z qaid. - VRLZ om. u « ut- tue. ia Fat +44. «t » R « a \* V idra. \* FLZ naturaliter. - V om. ut... idololatria.

1 Cf. *Glossa ordin.*, in h. L, ap. Lyran.

2 Cf. *Glossa ordin.*, loc. cit.

3 Lombardi, in h. I. (PL 191, 1602), cx Augustino, in Ioan., tr. I, n. 13 (PL 35, 1385).

4 Cf. *Etymol.*, VIII, c. 11, n. 13 (PL 82, 315).

5 Vetus Latina.

6 *Inlerlin.*, in Exod. 20, 4, ap. Lyran., ex Origene, in Exod., hom. 8, n. 2 (PG 12, 351).

7 Loc. dt.

8 Cf. Lombard., III *Sent.*, d. 37, cc. 1-3 (p. 715sq.), ubi occurrunt omnes *Glossae* sub 1 et 11 citatae; S. Bonav.,

II *Sent.*, d. 37, a. 1, q. 3, ad 1 et III *Sent.*, d. 37, dub. I (II, 867sq., et III, 829sq.).

9 Ioan. I, 3.

10 Cf. Lombard., in I *Cor.*, s. 4 (PL 191, 1602). ex Augustino, loc. cit.

11 Cf. *Glossa inlerlin.*, in h. L, ap. Lyran.

12 Sap. 14, 11.

13 Cf. Isidor., loc. cit., nota 4.

14 Lombardi, in I *Cor.*, s. 4 (PL 191, 1602).

15 Cf. supra, nota 6.

16 *Epist.* 58; cl. Alex. Hal., Swuna, 11, p. 18, cod &

Si famen *idolum* proprie accipitur pro simulacris, *avaritia dicitur idolorum servitus* 1 pere quamdam similitudinem: sicut enim idololatra servit idolo, ita avarus pecuniae<sup>2</sup>. Et similiter dicitur contumacia inobedientiae quasi idololatria<sup>3</sup> propter peccati enormitatem. Qui enim inobediens est Deo, servitute, quam debet Deo, abnegat; abnegans autem servitute, quam debet Deo: recedit a cultu Dei, et sic quoad hoc convenit cum idololatra, licet non sit tanta sceleris enormitas.

II. Ad id vero quod obicitur "utrum idolum sit aliquid aut nihil", respondendum est quod "esse nihil" dicitur multipliciter: vel ex privatione debiti finis, et secundum hunc modum *idolum nihil est*, sicut et peccatum, sed in hoc est differentia, quia in peccato per se privatur debitus finis, in idolo vero<sup>4</sup> est occasio privationis. — Dicitur etiam idolum nihil esse ratione

defectus formae, quae aestimatur esse in ipsa teria tamquam movens in moto: aestimatur enim quod «idolum sit persona subsistens ex similitudine et spiritu praesidente<sup>3</sup>», et non est ibi, secundum quod dicitur<sup>6</sup> Habac. 2,19: *Ecce cooperatus est auro et argento, et omnis spiritus non est visceribus eius.* — Dicitur etiam idolum nihil esse ratione rei ad cuius imitationem excogitatur, et sic accipitur in Exod. 20,4 in Glossa<sup>7</sup>. defectu ergo finis et formae, quae est in ratione moventis, et termini dicitur nihil esse. Si vero consideretur secundum esse materiale vel sequi, dum esse formale quod est ex artificio, dicitur idolum aliquid esse.

[Ad oblecta]: a-b, 1-3. Et per hoc potest solvi illud quod obiectum est: secundum dicitur esse aliquid et secundum quid dicitur esse nihil.

733

## CAPUT II.

## DE CAUSA IDOLOLATRIAE.

Secundo quaeritur de causa idololatriae. Circa quod quaeritur utrum aliquis ratione utens possit moveri ad idololatriam sive moveatur.

Et videtur quod non. I. De impressionibus enim naturae est Deum esse, et non tantum quod Deus sit, sed etiam quod unus sit et quod non habeat principium, sed sit aliorum principium. Cum ergo hoc sit impressum rationi secundum naturam, nullum potest esse motivum<sup>2</sup> ut credat multitudinem deorum, ut de hoc quod est ab alio, credat esse Deum; sed hoc est in idololatria; ergo elongatum est ab homine utente ratione ut cadat<sup>3</sup> in peccatum idololatriae.

2. Item, sicut dicit Anselmus<sup>8</sup>, illud dicitur esse Deus et est, quo melius nihil excogitari potest nec etiam quo potest excogitari potentius; non deerit ergo omnipotentia, in quo asseritur divinitas. In idolo autem nullatenus ponitur omnipotentia; ergo nec divinitas, non ergo homo utens ratione incidit in idololatriam.

3. Praeterea, si honor divinus exhibebatur idolis, aut hoc fuit propter idola autem propter spiritus praesidentes in idolis per operationem. Non propter ipsa idola, cum nihil virtutis habeant de se et facta sint ab homine; faciens

autem factu plus est honorandus et potens idopotentem; nullatenus ergo exhibendus erat honor divinus idolis<sup>9</sup> propter se. Praeterea, nulla utilitas est exhibere honorem non intelligenti; idola autem nihil cognitionis habuit: ergo nec honor ei exhibendus erat quanto magis nec honor divinus. — Si vero propter spiritus praesidentes, aut illi sunt boni spiritus aut mali. Si boni spiritus et creati, nullatenus honor, soli omnipotenti Deo<sup>10</sup> debitus, ab eis affectaretur, cum sine iniuria illis dari non possit; si autem affectarent, iam boni non essent: essent enim infideles et iniqui; infideles quidem, quia Deum creatorem suum debito honore defraudarent, iniqui autem eo quod ius alienum usurparent. Si vero fiat eis exhibitio honoris divini cum displicentia eorum, offenderentur ergo potius huiusmodi honoribus quam placarentur; non ergo ab iis oporteret expectare beneficia pro huiusmodi honoribus, sed magis poenam. — Si veror spiritus praesidentes sunt mali, a malis autem non sunt expectandi bona, pro bonis autem accipiendis aut malis amovendis exhibentur huiusmodi honores: M ergo exhibendi sunt malis spiritibus. Praeterea, malis spiritibus non sunt exhibendi huiusmodi honores: cultus enim isti sunt cultus sanctitatis;

ullus autem sanctitatis ab eis dissonant nec aliquid<sup>11</sup> boni possunt nisi permitti; unde Augustinus, II *De civitate Dei*: «Sicut ipsi mali homines in terra, sic etiam illi non omnia, quae volunt, facere possunt nisi quantum illius ordinatione sinuntur<sup>12</sup> culus plene iudicia nemo comprehendit, iuste nemo reprehendit». Restat ergo quod malis spiritibus non est exhibendus honor divinus; ergo nullatenus esset idololatria, quia nec ratione idolorum in se<sup>4</sup> nec ratione spiritu praesidentium.

4. Praeterea, arguit sic Augustinus, in libro *De civitate Dei*: «Romana virtus<sup>13</sup> theatricas artes reprobaverat et qui se in illis exercebant, civilibus honoribus privabantur; dii autem exigebant a suis cultoribus ritus theatricos». Ergo et ipsi erant reprobandi. «Qua enim fronte theatrae turpitudinis notatur actor, si adoratur exactor? Non ergo dii illi sunt honorandi». Ergo nec debet esse idololatria.

5. Praeterea, sic arguit<sup>14</sup>: «Graeci proponunt: si dii tales colendi sunt, profecto tales homines honorandi sunt; assumunt autem Romani: sed nullo modo tales homines sunt honorandi; concludunt ergo Christiani: nullo modo ergo tales dii sunt colendi».

6. Hoc etiam remove debet idololatriam quod spiritus praesidentes immunda<sup>15</sup> volunt sibi offerri, sicut *talpas* et *vesperiliones*<sup>16</sup> et huiusmodi animalia immunda; sed non est ponendum esse Deum qui in immunditiis delectatur; non ergo spiritus praesidentes idolis deos esse est ponendum.

7. Praeterea, ipsa pluralitas deorum ostendit evacuationem. In segetibus enim plures deas<sup>17</sup> esse ponebant<sup>18</sup>: «dum enim semina erant sub terra, deam Seiammesse dicebant; cum autem essent super terram et facerent segetem, deam Segetiam<sup>19</sup>; frumentis autem collectis atque reconditis deam Tutiliam<sup>20</sup> esse dicebant», et ita de aliis rebus<sup>21</sup>. Maior autem est virtus<sup>22</sup> in uno quam in pluribus: plus enim potest virtus unita<sup>23</sup> quam multiplicata<sup>24</sup>; ergo unum esse Deum ponendum est.

E contra<sup>25</sup>, a. Motivum ad culturam spirituum praesidentium in idolis potuit esse quod sanare laesiones<sup>26</sup> corporum credebantur, dum ab eis cessabant, et sedare<sup>27</sup> turbationes rerum humanarum, dum non concitabant. Praeterea,

praedicebant hominibus mala sive bona quae futura erant; praescire autem futura cum certitudine divinum est; ex quo in eis divinam esse virtutem suspicabantur. Adiungitur etiam mirificentia operum occultorum naturalium, quae mirabilia videbantur — miracula autem lacere auctoritate solius Dei est — sicut contigit in miraculis Magorum<sup>28</sup>. Sic ergo propter sanationes laesorum et liberationes oppressorum, quae credebantur, bonitas divina in eis asserabatur, propter praedictionem futurorum sapientia divina, propter operationem mirabilium potentia divina. — Sed in omnibus istis non fuit necessaria ratiocinatio, immo falsa aestimatio. Non enim sanabant infirmos nec liberabant oppressos, sed a documento desistebant ut illuderent, futura conciendo praedicebant et aliquotiens fallendo, occulta naturae operando, non res super naturam virtute faciendo. Unde propter ista nullatenus ponendum erat istos deos esse<sup>29</sup> et eis divinus cultus nullatenus erat exhibendus.

[Solutio]; 1. Ad id autem quod obicitur quod nulla potuit esse causa propter quam homo utens ratione incideret in idololatriam: dicendum quod hoc verum est, si ratio sequeretur<sup>7</sup> inclinationem naturae secundum<sup>2</sup> se ipsam, sed, quia sequebatur inclinationem naturae corruptae, ratione corruptionis ideo contingebat ipsum in idololatriam incidere.

2. Ad secundum dicendum quod, licet homo ponat Deum esse summe bonum, summe potentem, summe sapientem — haec autem non conveniunt idolo vel spiritui in idolo praesidenti — nihilominus tamen ratio humana respiciens ad effectum<sup>8</sup>, et non universaliter, sed particulariter, et per hoc<sup>9</sup> decepta, incidit in idololatriam.

3. Ad tertium dicendum quod, si homo pertractaret secundum rationem rectam, inveniret Creatorem et Gubernatorem esse colendum, creaturis vero nullatenus cultum divinum esse exhibendum, secundum quod dicitur Sap. 13,3-5: *Si speciei rerum delectati, deos putaverunt, quanto magis dominator eorum speciosior est? Speciei generatorum haec omnia constituit. Aut si virtutem et operam eorum mirati sunt, intellegant ab ipsis quoniam qui haec omnia constituit, fortior est illis. A magnitudine enim speciei fit creatio*

■ R secundum, quod F corr. \*BThomo. \*Tom. \*Toni. \*Tadd. ibi. / T cooperatus, quod F corr. \* V om. R credat. \* V quo etiam nihil pro n. e. q.; B cogitari pro excogitari. i BT exhibeatur. ■ Z ut. \* V propter. \* V oe V, alii om. < BZ om. \* V ergo; Z presenter pro praesidentes.

1 Col. 3, 5; cf. supra, p. 569 sqq.

2 Cf. Chrysostom., *In Ioan.*, hom. 65, n. 3 (PG 59, 364).

3 Reg., 15, 23.

4 Cf. Augustin., *De peccat. merit.*, II, c. 31 (PL 44, 172).

5 Cf. Lombard., *In / Cor.*, 8, 4 (PL 191, 1602).

6 Cf. supra, p. 570, nota 2.

7 Cf. supra, p. 717, nota 6.

8 Cf. *Proslogion*, c. 2 (PL 158, 227).

\* VR quid. \* BT nec. - B sumuntur. \* V om. I. s. \* B om. / V probaverat; B om. In. - IU VF (-meti), Uti cituii. ■ R add. Gregorius. \* R immundo. \* BT om. \* V deos. - L Seram. - BT ergo. - Segeriam. B Segatila. r BT TMUda. < T add. etiam. \* V ergo - BR unica. \* V om. \* V sanationes pro s. I. \* V sedate pro s. a. \* V om. \* T predicationem. \* V om. < Ita V, alii om. - Ita V, alii add. est. \* V querentiv. - FR preptn. \* IU V. F tero dicendum, B vero respondendum est. alii vero dicendum est. \* Ita V, alii sammul. \* V on. e. e. \* IU V, alii ktc; F oat U. \* R perpetraret, quod BF corr. \* Z om. e. G. - Ita V, alii species. r B gubernator.

1 Cap. 23, n. 2 (PL 41, 71).

2 Lib. II, c. 13 (PL 41, 57 sq.).

3 Loc. cit.

< Scilicet in theatricis artibus sese exercentes.

§ Isal. 2, 20; cf. Dcutter, 14, 18.

β Augustin., loc. cit., IV, c. 8 (PL 41, 118).

\* Cf. Augustin., loc. cit., et VI, c. 9 (PL 41, 118 sq.).

\* *Liber de causis*, § 16 (p. 179).

9 Cf. Raban., *De magicis art.* (PL 110, 1100 sq.).

10 Cf. Exod. 7, 11, 22 et 8, 7; cf. Alex. Hal., *Saxua thcol.*, 11, num. 243 sqq.

turac cognoscibiliter poterit eorum Creator videri. Sed quia respiciebant in aliquibus necessitatibus ad aliquam virtutem adiutricem, secundum quod aestimabant, nec elevabant intellectum ad summam causam, a qua est omne adiutorium el

universaliter esse et bonum, Ideo in idololatricam et superstitionem incidebant.

4-7. Similiter dicendum est ad alia. Idololatria enim ex multis originem duxit, sicut habetur in libro Sapientiae<sup>1</sup>.

## IN QUIBUS CONSISTAT IDOLOLATRIA.

**T**ertio quaeritur in quibus consistat idololatria.

I. Potest enim quaeri utrum aliquis possit aliquam creaturam colere ut Deum et adorare sine peccato<sup>2</sup>.

Quod videtur. 1. Potest enim esse quod aliquis nihil audivit de Deo, et natus inter idololatrias, videt adorari idola et creaturas; videtur quod ista ignorantia sit invincibilis, cum nullatenus habeat a quo possit addiscere. Unde Augustinus<sup>3</sup>: «Ille non suo vitio ignorat; ideo enim ignorat, quia non fuit a quo disceret, nec ex rumore comperit opinionem doctrinae, et ideo immunis est a condemnatione d<sup>4</sup>». Talis ergo non peccat, cum nullus peccet in eo quod vitare non potest<sup>4</sup>.

Contra, a. Cognitio quod Deus<sup>5</sup> sit naturaliter insita est menti<sup>6</sup> nullus ergo excusatur ab ignorantia Dei.

b. Item, in Psalmo<sup>6</sup> dicitur: *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus* etc. Si ergo quilibet ingreditur ad considerationem sui, inveniet illum esse Deum, qui est universorum factor et creator; ergo ignorantia eius neminem excusabit.

II. Item, potest quaeri, si nullus potest colere sine peccato utrum possit adorare sine peccato<sup>7</sup>.

Quod videtur, I. per hoc quod dicitur in Glossa, super illud Exod. 20,5: *Non adorabis neque coles*, Glossa<sup>8</sup>: «Aliud est colere, aliud adorare. Potest quis invitus adorare, tormentis victus».

2. Praeterea de B. Ignatio legitur<sup>9</sup> quod potuit induci ad incendendum thura<sup>1</sup> idolis, sed nullo modo volebat Christum<sup>10</sup> negare. Restat ergo quod aliquis potest sine peccato adorare idola.

Contra, a. Exod. 20,5 dicitur: *Non adorabis neque coles*, ubi prohibetur adoratio, et dicit Glossa<sup>10</sup>: «Utrumque resecat<sup>11</sup>», ut nec allectu colas nec speciem adores». Ergo non potest fieri adoratio idolorum<sup>9</sup> sine peccato idololatriae.

[Solutio]: I. Ad quod dicitur quod huiusmodi ignorantia non est invincibilis: unde non excusatur a peccato. Licet enim non possit habere doctorem hominem, cum nullus sit ibi fidelis, potest tamen habere Spiritum Sanctum intus docentem: *Unctio enim docet de omnibus*, sicut habetur I Ioan. 2,27, si ipse faciat quod in se est. Praeterea, usu rationis potest duci ad *invisibilia Dei per ea quae conspiciuntur intellecta a creatura*, sicut dicitur ad Rom. 1,20.

[Ad oblecta]: 1. Et sic intelligendum est quod dicit Augustinus quod ille non est culpandus qui a quo disceret non invenit, si ignoret<sup>1</sup>.

II. 1. Ad secundum verum dicendum quod cultus divini nullatenus attribuendi sunt creaturae propter se; unde nec est adorare idola vel creaturas adoratione, quae est latría, sine peccato: adoratio enim importat actum exteriorem procedentem a voluntate aliquo modo. Unde quod dicitur in Exodo in Glossa quod<sup>1</sup> «aliquis invitus potest adorare idola», intelligendum est de illo quem metus induxit; ille autem, quem metus induxit, ex voluntate quodam modo facit, licet non absoluta<sup>11</sup>; per tormenta autem nullus inducendus est ad faciendum contrarium honorificentiae divinae.

2. Ad id<sup>12</sup> quod dicitur de B. Ignatio, dicendum est quod non adoravit idola, sed coram idolis existens, thura Deo incendebat, sicut B. Thomas<sup>13</sup> Apostolus et alii sancti<sup>13</sup>, ante idola ducti, protestabantur se adorare Deum, non idola, et hoc patuit in idolorum destructione.

<sup>1</sup> V omni.    <sup>2</sup> V non.    <sup>3</sup> Ita V, alii adorare.    <sup>4</sup> B damnationi.    <sup>5</sup> V enim.    <sup>6</sup> FR Dominus    <sup>7</sup> V rationi.    <sup>8</sup> Z om. a. p.  
<sup>9</sup> V ritualis pro n. c.    <sup>10</sup> V om.    <sup>11</sup> R cam.    <sup>12</sup> B ipsium.    <sup>13</sup> Z resecas.    <sup>14</sup> T om.    <sup>15</sup> r Z add. dici.    e B om. s. l.    <sup>16</sup> V om.    <sup>17</sup> R om.  
<sup>18</sup> B add. sl.    <sup>19</sup> Z om. Ule... Induxit, In F est add. mg.    <sup>20</sup> Ita V, alii om. a.    <sup>21</sup> BTFZL quod autem pro quod

<sup>1</sup> Praesertim c. 14.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. de Rupella, *Summa de vitiis* (fol. 27a).

<sup>3</sup> *Quaest. ex Novo Testam.*, q. 67 (PL 35, 2262).

<sup>4</sup> Augustin., *De lib. arbit.*, III, c. 18, n. 50 (PL 32, 1295).

<sup>5</sup> Cf. Damasc., *De fide orthod.*, I, c. 3 (PO 94, 794).

<sup>6</sup> Psalm. 99, 3.

<sup>7</sup> Cf. Ioan. de Rupella, loc. dt.

<sup>8</sup> *Ordin.*, In h. 1., ap. Lyran.

<sup>9</sup> De hoc nil invenimus.

io Cf. nota 8.

<sup>11</sup> Cf. supra, num. 705, In *Solutione et ad 1.*

<sup>12</sup> Cf. Iac. a Voragine, *Legenda aurea*, c. 6 (ed. Graesse, Lipsiae 1850, p. 38).

<sup>13</sup> Cf. *Legenda aurea*, c. 58, ubi quid simile de S. Georgio refertur (p. 263).



III. Item, potest quaeri utrum aliquis salva tide cordis, in qua nullatenus creditur de idolo quod sit Deus, possit ore confiteri de idolo quod sit Deus, sine peccato :

Quod videtur, 1. per hoc quod dicit Augustinus2: «Lingua non facit reum, sed rea mens». Sed iste non videtur habere mentem ream, cum recte credat; non ergo dicendus est reus.

Contrarium videtur, a. Ad Rom. 10,10: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Si ergo aliquis confiteatur ore cuius contrarium credit, ad damnationem sui confitetur.

[Solutio]: Ad quod dicendum<sup>o</sup> quod huiusmodi confessio non potest fieri sine peccato. Unde dicitur in *Gl o s s a* ad Rom. 10,10: «Pene omnes qui Christum coram persecutoribus negaverunt, quod de illo credebant, corde tenuerunt, et tamen ore non confitendo perierunt nisi illi qui poenitentia revixerunt ». Et iterum4: «Nihil prodest hoc esse in corde quod verum est, si hoc dicitur voce quod falsum est, quia veritas et est credenda et dicenda ».

[Ad oblecta]: 1. Ad id vero<sup>o</sup> quod dicit Augustinus quod «lingua non facit reum, sed rea mens», dicendum e quod hic est mens rea, ex qua procedit «mendacium in doctrina religionis»5.

IV. Deinde quaeritur si homo potest exhibere sine peccato<sup>o</sup> reverentiam corporalem creaturae, quae Deo debetur6.

Quod videtur, 1. eo quod genuflexiones fiunt coram praelatis ecclesiasticis et saecularibus.

Sed videtur contrarium, a. per hoc quod dicitur Isai. \* 45,24: *Mihi curvabitur omne genu, et iurabit mihi omnis lingua*; et ad Rom. 14,11, ubi habetur simile.

b. Similiter dicitur Esther 3,2 de Mardocheo, qui nolebat genu flectere coram Aman7: *Timuit enim ne honorem Dei transferret ad hominem*. Et dicit Origenes8: «Genu flectere est cuncta esse subiecta et cultui Dei obedire ». — Quod autem genuflexio ad cultum<sup>o</sup> Dei pertineat, patet, per hoc quod dicitur ad Philipp. 2,9-10: *Donavit Deus illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine eius omne genu flectatur*.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod non est reverentia, soli Deo debita, creaturae exhibenda;

haec autem est de genuflexione cordis, sicut dicitur 11 Paral, ultimo2: *Et nunc flecto genua cordis mei*. Si vero lit sermo de genuflexione

corporali, aut illa est quoad utrumque genu, et illa non est<sup>o</sup> exhibenda creaturae propter se, sed exhibendo Deo reverentiam in creatura; alicubi tamen consuetudo potest excusare. Si vero fiat quoad unum genu · genuflexio, hoc modo convenit creaturae rationali, cui exhibetur reverentia. Similiter, licet prostratio fiat principaliter Deo, tamen, sicut habetur in Veteri Testamento<sup>o</sup>, ita reverentiam hominum exhibebatur.

V. Item, cum idololatria fiat in adoratione idolorum, sicut habetur Isai. 44,9, potest quaeri utrum lactores imaginum vel qui procurant facturam earumdem peccent peccato idololatriae vel peccato<sup>o</sup> consimili<sup>o</sup>.

Quod videtur, 1. per hoc quod dicitur Deuter. 4,15-16: *Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis Dominus de medio ignis, ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem aut imaginem masculi aut feminae etc.; et dicitur<sup>o</sup> Deuter. 5,8: Non facies tibi imaginem aut sculptile sive similitudinem etc.* Per quod designatur quod facientes huiusmodi peccant et faciunt contra primum praeceptum; sed facere contra primum praeceptum est peccatum idololatriae; ergo hoc est peccatum idololatriae<sup>o</sup>.

2. Similiter de procurantibus habetur Isai. 46,6: *Qui confertis aurum de sacco et argentum de statera ponderatis<sup>o</sup>, conducentes aurificem ut faciat deum*. Procurare ergo ut fiant imagines huiusmodi est peccatum idololatriae.

Contra, a. Ecclesia concedit facturam imaginum et eas in ecclesia collocat; hoc autem non esset, si speciem idololatriae praetenderent.

b. Praeterea, dicit<sup>o</sup> Joannes Damascenus12: «Honor imaginis ad prototypum pervenit; prototypum autem est quod imaginatur, ex quo derivatur quod fit ». Et iterum13: «Dei Genitricis imaginis non materiam, sed figuram, adoramus; honor enim qui est ad ipsam, ad eum<sup>o</sup> qui ex ipsa incarnatus est, reducitur ». Si ergo honorationes imaginum conceduntur, et facturae per consequens earum conceduntur.

\* BT add. est. \* Z cum. · V est. V ore. · Z add. est. ! T add. quod oMitur. · BT add. est; V lue pro Uc. · V lror V om. s. p. · V om. ! V culturam. " Z flectetur, L flectet ■ T om. · BT om. · X L om. · V om. i. · p. · Ita BT, alti Deus. · V om. e. d. · Z facias pro facies. · VL om. ergo. Idololatriae. \* T om. · FRLZ powderants; V artificem pro uificem. · Ita V, alii om. · R eam.

1 Cf. Ioan, de Rupeila, loc. cit.  
2 Sermo 180, c. 2 (PL 38, 973).  
3 Lombardi, in h. 1. (PL 191, 1476), ex Augustino, *Contra mendac.*, c. 6, n. 13 (PL 40, 526).  
4 Loc. cit., ex Augustino, loc. cit., n. 14 (PL40,526sq.).  
5 Augustin., *Dc mendacio*, c. 14 (PL 40, 505).  
c Cf. Ioan, de Rupella, loc. cit. 7 Esther 13,14.

8 In *Epist. ad Rom.*, IX, n. 41 (PG 14, 1244).  
9 *Oratio Manasse*, circa finem, quae olim ad calcem libri II Paral, poni solebat.  
10 Cf. I Reg. 20,41 ; 25,41 ; 11 Reg. 18,20; 19,18; 24,21.  
11 Cf. Ioan, de Rupeila, loc. dt.  
12 De *fide orthod.*, IV, c. 16 (PO 94, 1170).  
13 Loc. cit. (PU 91, 1171).



c. Item, In Exodo dixit Dominus ad Moysen quod faceret cherubim obumbrantia propitiatorium; si ergo hoc concedebatur in Veteri Testamento ut lierent imagines etiam \* rerum incorporearum, multo fortius in Novo Testamento conceditur usus imaginum rerum e corporearum, et ita per consequens factura imaginum.

VI. Huius etiam gratia quaeritur utrum similiter ante adventum Christi potuerunt sine peccato fieri imagines rerum sacrarum sicut et modo fiunt.

Et videtur quod sic. 1. Quod enim pertinet ad cultum Dei vel honorem sanctorum est morale; sed facere huiusmodi imagines et honorare \* ad cultum deiformem pertinet; ergo est morale; moralia autem non variantur; si ergo modo fiunt sine peccato, tunc potuerunt fieri sine peccato.

